22/

anno MCCLXXXVIII. Causam autem huius modi captivacionis in cronica Sorcus Montis sic repperi. Cum Otto marchio esset pater duorum filiorum Alberti et Theoderici, Albertus, qui maior natu erat, post se marchionem Missnensem ordinaverat, Theoderico fratri iuniori sufficientibus aliis castris et terris et presertim castrum Wissenfels assignatis. Mater vero Hedwigis plus iuniorem diligens marito persuadere conata est, ut feoda que meliora habebat, ipsi assignaret, ad postremum eciam, ut testamentum mutato ordinacione de seniore factam in iuniorem transferret, quod cum marchio inclinatus facere intenderet, hoc comperto senior filius consilio, ut fertur, Bernhardi Saxonie ducis, avunculi sui, et aliorum quorundam amicorum fideliumque suorum patrem in castro suo Delbin[a] detinuit testamenti sui prioris ab eo exigens confirmacionem deputatisque ei custodibus, quorum unus fuit Conradus comes filius Dedonis de Rochlitz, fratris Ottonis, unde[b] presumptum est ipsum Dedonem fratrem suum captivacionis eius conscium fuisse. Imperator itaque rem gestam audiens graviter accepit certumque erat, quod mox te Alberti factum vindicaturus fuisset, nisi eum peregrinacionis sue promovende intencio prohibuisset. Missa tamen legacione ei sub obtentu gracie sue precepit, ut patrem a captivitate relaxaret, monens eciam patrem, ut dissimulato dolore in graciam filium suum revocaret. Filio suo Hinrico dictus imperator commisit sollicite, ne facti detestandi negligeret ulcionem. Sicque marchio solutus est, thesauris suis, quos plurimos habebat, a filio ex parte iam maxima devastatis. Pater vero filii nephas gravissime ferens se omnino vindicare disponens, ortum est intestinum

Margin notes: cum; missa; Mum; castra; conata e, conata!; a feodia c; feoda; b ordinacione c; + f. CCLVIII d.; a) Delbin/ Dewin? f. o. odus/ wo sitzt Delbin zu lesen ist; b) und